

des

# Yearsbericht

Königlichen Bürgenkagen-Gymnasiums

zu

## Treptow a. R.

über das Schuljahr 1894/5,

durch welchen zu der Feier des achtzigsten Geburtstages Sr. Durchlaucht des Fürsten Bismarck  
und zu der Entlassung der Abiturienten am 1. April 1895 ergebenst einladet

der Direktor

Professor A. Haake.


---

### Inhalt:

1. De scholiis Statianis commentatio I. Vom Oberlehrer Dr. Richard Kloß.
2. Schulnachrichten vom Direktor.

---

Progr. Nr. 150.  
Treptow a. R.  
Druck von Richard Marg  
1895.



# De scholiis Statianis commentatio I.

scripsit

**Dr. Klotz.**

**Q**uod Adolfus Kiessling, praceptor carissimus, quem subita ac praematura morte absumptum omnes eius discipuli valde lugemus, olim me monuerat, videri a quarto demum post Christum nat. saeculo Lucanum atque Juvenalem a grammaticis commentatoribusque in idoneorum<sup>1)</sup>, qui vocantur, auctorum haberi numero<sup>2)</sup>, idem iam tum dicendum esse de Papinio Statio ut suspicabar, ita non audebam pro certo adfirmare. Nunc vero id iam posuerim pro indubitate; nam quemadmodum illi poetae a Servio appellantur neoterici<sup>3)</sup> — velut Vergil. Aen. VI, 320 Vada livida] nigra . . et ,liv.dum‘ ,invidum‘ non nisi apud neotericos invenimus: Lucanus (I, 288), livor edax tibi cuncta negat gentesque subactas’ — ita hic inter neotericos numeratur a Pompeo artis grammaticae Donatianae commentatore, Servio aequali, qui p. 232, 34 K haec: ,canto to longa est posita (sc. a Vergilio). tamen inveniuntur verba apud ipsum Vergilium, ubi brevis sit o ,nunc scio, quid sit amor‘, ecce brevis est. neoterici autem omnes, Statius et alii, maiores sunt in illa parte, quae brevis est, quam in illa, quae longa est, contra Vergilium. omnis ergo o in prima persona semper corripitur exceptis monosyllabis.’

Quod si recte observavimus, sicut in calculo etiam re probandum est; neque fallit ratio. Frustra enim Statium quaeras in scholiis illis Vergilianis antiquissimis, quae ex codice rescripto

<sup>1)</sup> cf. exempli gratia Serv. Aen. VI, 154 sic demum] . . et haec particula tam apud Vergilium quam apud omnes idoneos autores hoc significat, licet in aliis diversa significet. et Aen. XI, 473.

<sup>2)</sup> vide Quaestiones meas Servianas, dissert. inaug. Gryphisw. 1882. p. 1.

<sup>3)</sup> Is quoque terminus, ut ita dicam, technicus, a Graecis mutuatum; de quo studio conferas Animadverss. meas ad vett. Vergili interpretates progr. Triptow. 1893. p. 8. Ceterum aliis temporibus alios scriptores ita significatos esse apparuit; nam vocabulo illo iam Probus Berytius est usus, qui (ad. Aen. XII, 605) antiquiores poetas opponit poetis aetatis Augustae; his autem in canonem receptis oppoebantur a grammaticis quarti saeculi recentiores idonei, Lucanus, Juvenalis, Statius.

Veronensis denuo edidit Henricus Keil<sup>1)</sup>, item frustra in scholiis Danielinis Servio adglutinatis, frustra denique in eis, quae sub Probi nomine feruntur, de quibus docta nuper Thilonis, viri de hac litterarum parte optime meriti, studia prodierunt<sup>2)</sup>; neque aliter res se habet in grammaticorum libris veluti apud Nonium Marcellum, Charisium, Diomedem, quippe qui, quamquam aetate sint Servio et Pompeio proximi, hauserint ex fontibus antiquioribus. Ne Donatus quidem Statium commemoratione dignum putavit; quod eam ob causam mihi persuasi, quod neque in arte eius grammatica neque in scholiis Terentianis Statii nomen occurrit. De commentario eius Vergiliano, etsi prorsus certi quid sciri nequit, tamen summa cum specie probabilitatis idem est conciendum; loco enim Serviano ad Vergil. Aen. XII, 365 adducor, ut Statium ab illo non adhibitum esse credam. Is enim l. c. haec adnotavit, nam Edon mons est Thraciae. sane sciendum hoc loco errasse Donatum qui dicit „Edonii“ legendum, ut do brevis sit, secundum Lucanum, qui dicit (I, 673) „Edonis Ogygio“ decurrit plena Lyaeo<sup>3)</sup>; namque certum est systolen fecisse Lucanum; unde Edoni legendum est, ut sit, hic Edonus, huius Edoni. Statius et Vergilium et artem secutus ait „tristius Edonas hiemes Hebrumque nivalem“ (Theb. V, 78)<sup>4)</sup> non Edonias<sup>5)</sup>. Quid? Meo iure nonne ex hoc loco colligo Statium a Donato non esse respectum? <sup>3)</sup> Optime autem cum hac re concinit, quod Hieronymus adv. Rufin. I, 16 dicit „Puto, quod puer legeris Aspri in Vergilium et Sallustium commentarios . . . et in Terentii comoedias praceptoris mei Donati, aequa in Vergilium, et aliorum in alias, Plautum videlicet, Lucretium, Flaccum, Persium atque Lucanum.“ Nam id sine dubio hoc loco fit probabile tum, cum pueri erant Hieronymus et Rufinus, Statium in scholis nondum lectitatum esse. Atque ultra pedem audeo proferre: Servius enim magister ipse — neque potest alias quis fuisse, si tibi persuasi Donatum neglexisse Statium — videtur is fuisse, qui primus Statium in numerum auctorum idoneorum induxerit. Nam praeter locum illum supra adlatum, in quo Donatum vituperans Statium laudat ut peritum artis, saepissime — sunt fere octoginta loci — et rerum et verborum teste eos usus est.

Liceat vero obiter monere, id si recte conclusi, valere ad solvendam aliam, quae nuper exstitit, quaestionem. Stabat enim adhuc viris doctis sententia, omnia, quae in Isidori Hispalensis originum differentiarumque libris consentirent cum Servio, illum ex hoc derivasse. Quam sententiam Nettleship, haud spernendus harum rerum iudex, in libro inscripto „lectures and choisis“, ubi censuram agit editionis Thiloniana, impugnavit adfirmans ea, quae Servio cum Isidoro essent communia, redire ad fontem antiquorem, ex quo uterque sua hausisset. Attamen si consideraveris hoc Servii scholion ad Ge. III, 472 . . . aestiva autem sunt loca umbrosa, quibus per aestatem pecora vitant solis calorem: Statius et umbrosi patuere aestiva Lycae<sup>6)</sup>, quod ad verbum apud Isidorum orig. XIV, 8, 37 reddit, si deinde memineris id quod supra exposui, Statium a grammaticis Servio antiquioribus non esse citatum, non iam opinor de communi Servii et Isidori auctore cogitabis, nisi vero locum Statianum ab Isidors aequa ut ab Servio antiquiori adnotationi additum putabis.

<sup>1)</sup> Halle 1848.

<sup>2)</sup> cf. Jahnii annall. 1894, 4, 5, 6.

<sup>3)</sup> Noli mihi obvertere labefactari quadam ex parte ea, quae exposuerim, cum Lucanus, qui sit neoterorum, a Donato videatur testis esse exhibitus. Nam primum Lucanum atque Iuvenalem ante Statium in scholis tractatum esse versimile fit ex loco supra ex Hieronymo adscripto, ut inde, quod Lueanum respiciat Donatus, non idem sequatur de Statio; deinde ne in commentariis quidem Vergilianis eum saepe his testibus usum esse ideo puto, quia neuter in arte aut in scholiis Terentianis citatur (excepto uno loco ad Ter. Eun. II, 3, 56, ubi Lucanus, qui locus utrum ipsius sit Donati necne iam valde dubito).

Neque mirum, quod postea Servii secuti auctoritatem, quae quanta fuerit optime ex Macrobiis Saturnalibus cognoscitur, posteriores grammatici non dubitaverunt ad Statium auctorem provocare, velut commentatores artis Donati, cuius rei supra iam testimonium adscriptimus, Priscianus, a quo septuaginta quinque locis nostrum prolatum esse Keil in indice notavit, Isidorus, alii. Primus autem, quantum equidem scio, Sulpicius Severus testis est etiam in scholis si non omnibus Statii operibus — neque verisimile id per se de Achilleide et de Silvis — attamen Thebaidi pueros operam dedit, qui in dialogo II (III) 10,4<sup>1)</sup>, ad primum iactum in rete permodico immanem esocem diaconus extraxit et ad monasterium laete accurrens nimirum ut dixit poeta nescio quis — utimur enim versu scholastico quia inter scholasticos fabulamur — ,captivumque suum mirantibus intulit Argis<sup>2)</sup>. Qui versus est Stat. Theb. VIII, 751.<sup>3)</sup> Inde nimirum factum est, ut postremae demum aetatis scriptores Statium poetam sibi imitandum proposuerint, ut Gordianus, Ausonius, Claudianus, Appollinaris Sidonius, de quorum studiis conferenda, quae Kohlmann exposuit in præfatione edit. Achill. Teubner. p. 5.

Quae cum ita sint, mirum nemini potest esse, quod commenta quae exstant in Thebaide et Achilleide, quae sub nomine feruntur Lactantii Placidi<sup>4)</sup> inferioris sunt aevi; nam ut Lucano et Juvenali ita Statio tum demum ab commentatoribus operam esse datam appareat, cum inter idoneos illi erant recepti et digni haberi coepi erant, qui legerentur. Quamquam autem id concedendum commenta ea Statiana non adaequare antiquiora scholia in Vergiliū, tamen et ad historiam scholiarum latinorum accuratius cognoscendam et propter ipsorum indolem — nam plena sunt cum aliarum rerum notitia dignarum tum mythologicarum — haud inutile visum est in ea inquirere. Primum autem sunt edita ea commenta e codice Pithoeano a Lindenbrogio (Paris 1600), cuius editionem maximam partem secutus est Emericus Cruceus (Paris 1618); Barthius deinde in editione Thebaidis (Cyg. 1664) multa Lactantii scholia correxit atque illustravit Nostro tum saeculo accuratius rem tractavit Arminius Schottky, qui ,de pretio Lactantiani commentarii in Statii Thebaida et de nomine, philosophia et aetate commentatoris<sup>5)</sup> disseruit.<sup>6)</sup> Is vero libellus, etsi multa apte collegit et disposuit auctor, paene omittendus, quoniam Schottky praeter Lindenbrogianam editionem insignem notis ipsius editoris in margine scriptis, quae Hamburgi asservatur in bibliotheca Joannea, ipsis codicibus neque usus est neque uti potuit. Post Robertum Unger, qui in programmate gymnas. Friedland. a. 1864 ,electa e Lactantii in Theb. commentariis ad codicum fidem recognitis<sup>7)</sup> edidit scholiisque instruxit amplissimis, postremam Philippus Kohlmann, vir doctissimus, rem, ut ipse dicit, ,summi laboris periculique<sup>8)</sup> aggressus est consiliumque cepit totum corpus scholiorum Lactantianorum seorsum proponere. Cuius studii tria tantum specimina edidit: 1) Neue Scholien zur Thebais des Statius, aus einer Pariser Handschrift herausgegeb. progr. Posen 1873. 2) Stati Achilleidos lib. I, v. 1—396. Specimen novae Achill. Stat. editionis, ubi pag. 17—21 Lactantii scholia in hos

<sup>1)</sup> ed. Halm. Vindob. 1866 p. 207.

<sup>2)</sup> Si quis dicat hunc versum nihil probare de tota Thebaide, cum pueri eum ediscere potuerint in exercendis artis grammaticae praeceptis, sane non mordicus tenebo; sed id animadvertisendum iubebo, tunc demum versus Statianos in scholis fuisse usui.

<sup>3)</sup> Hanc nominis formam mihi præplacere fateor, non Luctati Placidi; nam mythographus ille Vaticanus tertius post A. Maium editus a Bode eum quater citavit III, 1,10 de usu casarum = Theb. IV, 276, III, 6,28 de cypreso = Theb. 4,460, de Hymenao III, 11,3 = Theb. III, 283, de Bacchis III, 12,3 = Theb. IV 660, et sibi constat appellans eum Lactantium. Deinde quod scribæ confundentes eum cum scriptore ecclesiastico inserto nomini Lactantii ad Theb. VI, 364 addiderunt ,Firmianus<sup>9)</sup> non poterat fieri, nisi constabat nomen scholastæ esse Lactantium.

<sup>4)</sup> diss. inaug. Vratislav. 1846.

versus addidit; progr. Emden 1877. 3) Lactantii Placidi in Statii Thebaidos lib. III, 1—323 commentarii ad fidem codicum recensiti, progr. Emden 1887. Hisce scriptis tam bene meruit de commentatore illo, ut vehementer dolendum sit, quod matuore morte est impeditus, quominus consilium edendi scholiastae exsequeretur. Adhortante autem Kiesslingio praeeceptore factum est, ut post studia Serviana ad haec quoque scholia perscrutanda accederem; nempe non fugiebat virum sagacissimum certi quidquam de his scholiis nondum exploratum. Oblata igitur scribendi occasione e re mihi videbatur esse pluribus exponere, qui nexus sit inter Lactantium, qui dicitur, et scholia Vergiliana, ut quasi viam quadam ex parte munirem ei, qui horum scholiorum novam paratus sit editionem. Nec sane opus est demonstrato, quantopere id scire necesse sit, cum constet Vergilium et commenta in eius carmina quasi in medio posita fuisse omnis eruditionis atque doctrinae; et quoniam nostris temporibus Thilonis praecipue opera historiam scholiorum Vergilianorum iam melius cognitam habemus, imprimis inquirendum est, utrum Servii ipsius an cuiusdam antiquioris Servio commentatoris libris Lactantius usus est, quod adhuc prorsus neglexerunt, qui de nostro iudicium tulerunt.

At dixerit quis, nonne inane quid tu conaris, quoniam nova editio scholiorum Statianorum desideratur? Sanè si nulla essent adiumenta quaestionis, quam quae supra dixi, tacendum esset, sed uti mihi licet apographo codicis Monacensis 19482<sup>1)</sup> (olim Tegerns. 1482), quem codicem summi momenti esse ad iudicium rectius de scholiis Lactantianis ferendum mihi persuasi.<sup>2)</sup> Collatio enim eius codicis quondam facta est sub Kiesslingii auspiciis et adscripta exemplari editionis Cruceanae, quod est in libris seminarii philologici Gryphiswaldensis. Nisus autem hac collatione, ut accurate loquar, mihi proposui investigare, quomodo eius codicis scholia cohaereant cum Vergilianis.

Sed antequam ad rem ipsam aggrediar, pauca in universum de scholiis Statianis praefari necesse est. Quicumque enim scholia ab Lindenbrogio edita percensuerit, idem his scholiis accidisse statim confitebitur, quod omnibus fore veterum commentariis accidit; miserrime ea interpolata, adnotationibus cuiusvis generis aucta, fabulis praecipue glossematisbusque additis ita amplificata esse apparet, ut genuina commentariorum forma, si omnino est servata, vix cognosci possit. Itaque in his quoque scholiis ad unum lemma non solum duplex vel triplex eiusdem loci adscripta invenitur explicatio, sed etiam „aliter“ illud — quod Graece ἄλλως — qua voce apud Servium scholia additicia haud raro Servianis adnectuntur, indicat Lactantianis aliena esse adglutinata. Cuius rei ne longus sim, unum proferam exemplum: ad Theb. VI, 367 Lindenbr. haec: Limbo] zona seu fascia. limbus enim proprie fascia picta dicitur, quae imis assuitur vestibus ut Vergil. Sydoniam picta chlamydem circumdata limbo. aliter limbus est fascia, quae ambit extremitatem vestium secundum antiquum ritum, ut victoris chlamydern auratam circum purpuram.<sup>4</sup> Quivis intellegit ab „aliter“ incipere novum scholion additum ab interpolatore quodam. Et bene fit, quod scimus, unde interpolator ea hauserit; legitur enim apud Servium Aen IV, 137, „limbus est, sicut supra diximus, fascia, quae ambit extremitatem vestium secundum antiquum ritum, ut „victori chlamydern auratam, quam plurima circum purpura.“ Quod vero Thilo ad hunc Servii locum adnotavit: „exscripsit Luctatius Placidus Theb. VI, 367“, vereor ut tibi persuadeat, cum sine dubio interpolator Lactantii sit. Atque iam reminiscaris, quod supra de codice Monacensi significavi: deest enim in eo scholion Servianum, ut vel ex hoc uno loco colligere possimus, eum codicem non tot passum esse interpolationes, quot

<sup>1)</sup> Cf. etiam, quae de hoc codice Wölfflin in Philol. vol. 24 (1866) p. 156.

<sup>2)</sup> Cassellani quoque codicis, scripti anno 1064, qui continet scholia in Theb. I, 688 — II, 109, collationen debo singulari Georgii Wissowa liberalitati, cui viro doctissimo me summam gratiam habere animo profiteor libenti.

— 5 —

Pithoeanum Lindenbrogii; neque hoc solum deest, sed etiam multa alia scholia Serviana, quibus freti viri docti Lactantium Servii scrinia impudenter compilasse adfirmaverunt. Quantopere vero grassati sint interpolatores in adscribendis infaciendisque scholiis aliunde desumptis, gravissimus testis est codex Parisinus 10317, qui praeter scholia Lindenbrogiana permulta exhibit, nec tamen ad genuinum Lactantii commentarium redeuntia immo derivata ex Servio, Fulgentio, scholiis Arateis, aliis.<sup>1)</sup>

Quoniam haec praemonui, iam rem ipsam adoriamur, quam ita absolvere in animo est, ut priore hac commentatione de scholiis in Achilleidem, altera de scholiis in Thebaidem disseram. Necessse enim mihi videbatur, ne ex scholiis in Achilleidem falsum traheretur iudicium, copiosius de his agere, praesertim cum quae Thilo breviter de his disputaverit, neque persuasisse videatur Kohlmann<sup>2)</sup> neque meo iudicio satis apta sint ad persuadendum. Thilonis enim haec sunt verba<sup>3):</sup> Achilleidos scholia, quae e Pithoei codice quodam Lindenbrogius a. 1600 edidit, cum maximam partem e Servii commentario ad verbum exscripta sint, iniuria eidem tribuuntur qui in Thebaidem quinto saeculo exeunte ut videtur multo doctius et diligentius commentatus est. qui etsi ipse quoque haud pauca ex Servii commentario deprompsit, tamen aliorum etiam Vergiliana commenta adhibuit. Sed vide, quam non haec sufficient ad id probandum, quod vult Thilo; nam si Thebaidis commentator aequo Servium ipsum ad verbum exscripsit atque commentator Achilleidis, deinde uterque alia commenta Vergiliana adhibuit — quod de commentatore Achilleidis Thilo ipse ad Aen. VI, 1 adnotavit — non est, quod negemus et scholia in Thebaidem et in Achilleidem ab eodem esse conscripta. Nam id sane non mirum, quod multo plura commentator Achilleidis ex Servio interprete Vergilii hausit, qnippet qui ad res Troicas enarrandas multo plus paeberet quam ad res Thebaicas. Qua de causa Thilonis sententia, quae dudum mihi constabat, aliis quoque argumentis fulcienda est; atque ut quivis intellegat, quid iudicandum sit de his scholiis, primum adscribam omnia, quae e Servio sunt hausta, quod ideo videbatur necessarium quia neque Thilo neque Kohlmann quamquam sane longe plurima, tamen non ad unum omnia adnotaverunt, deinde agam de eis, quae reliqua sunt. Atque primum quidem haec scholia in Achill. mutuata sunt e Servio:

Achill. I, 6 nec in Hectore tracto sistere] tacere; Homerus enim usque ad mortem Hectoris descripsit Iliados et tacuit, unde superius ,cantu Maeonio<sup>4)</sup> = Serv. Aen. I, 490.

I, 13 cumque suo númerant Amphione Thebae] Zethus et Amphion Jovis et Antiopae filii; Zethus rusticus, Amphion musicus.<sup>5)</sup> = Serv. ece. II, 24.

I, 21 incutas blande populatus] . . . Legitur in historiis, quod Troiani cum Graecis foedus habuerunt, unde etiam Paris est susceptus hospitio et sic commisit adulterium . . . Quod autem dicit ,populatus‘ historiam tangit. Hercules cum expugnato Ilio filiam Laomedontis Hesionam, Priami sororem, Telamoni dedisset, profecti sunt legati a Priamo, at eam minime repetrere potuerunt. illis dicentibus eam se habere iure bellorum. Unde commotus Priamus misit Paridem cum exercitu,

<sup>1)</sup> Cf. Kohlmann progr. Posen 1873.

<sup>2)</sup> Inde hoc colligo, quod quamquam Thilo scholia in Achill. Lactantio abiudicanda censem, Kohlmann in progr. Emden 1887 ea Lactantii appellat, neque verbo quidem de auctore eo se dubitare indicat, contra ab eodem homine scholl. in Theb. et Achill. profecta esse significat, veluti p. 15 adn. ad v. 205 ,plenus rem narrat Lactantius ad Achill. I, 12.

<sup>3)</sup> Praefat. edit. Serv vol. I 2 p. XXXVI.

<sup>4)</sup> Cf. schol. ad Achill. I, 4.

<sup>5)</sup> Quae sequuntur ,Amphion citharam a Mercurio nieruit cuius dulcedine dicitur muros struxisse Thebanos<sup>6)</sup> apud Servium non leguntur. cf. Prob. p. 7,26 K.

ut aliquid tale committeret aut in uxorem regis aut in filiam: qui expugnata Sparta Helenam rapuit. = Serv. Aen. X, 91.<sup>1)</sup>

I, 22 Plenaque . . praesagia somni] Hecuba, filia secundum Euripidem Cissei, quem Ennius Pacuvius et Vergilius sequuntur. Unde idem Vergil. ,Nec face tantum Cisseis praegnans ignis enixa iugalis.' Haec dum praegnans esset Paride, vidi in somnis facem se parere, quod fuit praesagium futuri incendi. Homerus autem Dymantis filiam dicit. = Serv. VII, 320 et X, 705.

I, 36 Atridis] usurpatum est, nam Plisthenis filii fuerunt Menelaus et Agamemnon. = Serv. Aen. I, 458.

I, 44 Rhoeteae] Troiana. Rhoeteum enim promontorium est Troiana urbis — et I, 84 Sigaeo] Troiano = Serv. Aen. II, 312.

I, 89 opera irrita muros] Hoc quidem habet fabula: Neptanus cum Apolline Troiae fabricaverunt muros a Laomedonte rogati; sed constat Laomedontem supra dictis diis certam vovisse pecuniam ad sacra facienda, quam post conditam Troiam dare noluit. Ergo e. q. s. = Serv. Aen. II, 610.

I, 93 signa Capbereus] hic historiam tangit. Palamedes, septimo gradu a Belo originem trahens, ut Apollonius dicit, cum delectum per Graeciam ageret, simularem insaniam Ulixem duxit invitum. Cum ille iunctis dissimilis naturae animalibus salem sereret, filium ei Palamedes opposuit, quo viso Ulices aratra<sup>2)</sup> suspendit et ad bellum ductus habuit iustum causam doloris. Postea cum Ulices frumentatum missus ad Thraciam nihil advexit, a Palamede vehementer est increpatus, et cum diceret, adeo non esse negligentiam suam, ut ne ipse quidem, si pergeret, quicquam posset advehere, profectus Palamedes infinita frumenta devexit. Qua invidia Ulices auctis inimiciis fietam epistolam ad Palamedem Priami nomine, per quam agebat gratias prodictionis et commemorabat certum auri pondus esse transmissum, dedit captivo et eum in itinere iussit occidi. Haec inventa more militiae regi allata est et lecta principibus convocatis. Tunc Ulices cum se Palamedi adesse simularet, ait: si verum est, in eius tentorio aurum quaeratur. Quo facto et invento auro, quod ipse per noctem corruptis servis absconderat, Palamedes lapidibus interemptus est. Hunc autem constat fuisse prudentem. Nam et tabulam ipse invenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus.

Huius pater mortem dolens Nauplius nomine, revertentibus Graecis post deletam Troiam tempestate laborantibus, montem Caphereum ascendit et elata facula signum dedit vicini portus. Quare decepti sunt et inter asperrimos scopulos pertulere naufragia.<sup>3)</sup> = Serv. Aen. II 81 et Aen. XI, 260.

I, 134 Tartara dicta aut quod omnia illic turbata sint *ἀπὸ τῆς ταραχῆς*, aut quod est melius, *ἀπὸ τοῦ ταραχίσειν*, id est a tremore frigoris; sole enim caret. = Serv. Aen. VI, 577.

Et ad Stygios iterum fero mergere fontes] Thetis cum agnoscisset fata Achillis, timens de morte eius in Stygem paludem intinxit, et toto corpore invulnerabilis fuit, excepta parte qua tentus est.<sup>4)</sup> Qui cum amatam Polyxenam ut in templo acciperet, statuisset, insidiis Paridis post simulacrum latentis occisus est = Serv. Aen. VI, 57.

<sup>1)</sup> Semel monco me non enotare singulas scripturae discrepancies, quae in Servio aut in codice Monac. obviam fiunt, velut pro ,unde etiam Paris' Thilo edidit ,tunc etiam Paris', cod. F autem facit cum Monac. ,unde.<sup>5)</sup> Nam ad summam rei spectanti mihi id nullius videbatur pretii, quoniam accuratius inquirenti non contigit, ut deprehenderem artius vinculum inter scholl. Achill. et certum quendam Servii codicem.

<sup>2)</sup> Verba aratra — Ulices' desunt in cod. M., scriba, quod saepius factum est, aberrante a voce, Ulices' ad alterum ,Ulices'.

<sup>3)</sup> Mythogr. secundus 201 idem mendum praebet, quod cod. M. ,per rimosos scopulos!

<sup>4)</sup> Cf. schol. ad Achill. I, 269, ubi eadem.

I, 136. Carpathius vates] Proteus. Carpathus insula est iuxta Aegyptum, a qua vicinum pelagus Carpathium nominatum est. Hic aliquando regnavit Proteus, relicta Pallene civitate Thessaliae, ad quam tamen reversus est postea. Unde Vergil.: „patriamque revisit Pallenem.“ = Serv. Ge. IV, 387.

I, 180. Eurotas fluvius est Laconiae, qui ab Apolline suas educit laurus, quibus eius plenae sunt ripae. = Serv. Ecl. VI, 83.

— Castor anhelo] Errant qui credunt Castorem Jovis filium, nam de Jove et Leda Helena et Pollux nati sunt, qui immortales fuerunt, Castor autem Tyndarei filius fuit mortalis; cuius mortem Pollux suo interitu fraterna pietate redimebat. Quod ideo fingitur, quia horum stellae ita se habent, ut occidente una oriatur altera. = Serv. Aen. VI, 121. (cf. etiam Aen. II, 601.)

I, 182 Amphitryoniades] Eurystheus rex fuit Graeciae, Persei genus, qui Junonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, quibus posset perire. Unde Vergil.: quis aut Eurysthea durum. <sup>1)</sup> = Serv. Ge. III, 4.

I, 192 Minoia brachia tauri] Indicato a Sole adulterio Martis et Veneris Vulcanus minutissimis catenis lectulum cinxit, quibus Mars et Venus ignorantes impliciti sunt et cum ingenti turpitudine resoluti sub testimonio cunctorum deorum. Quod factum Venus vehementer dolens stirpem omnem Solis persecui intandis amoribus coepit. Igitur Pasiphae, Solis filia, Minois regis Cretae uxor, tauri amore flagravit, et arte Daedali inclusa intra vaccam ligneam saeptam corio iuvencae pulcherrimae, cum tauro concubuit. Unde natus est Minotaurus, qui intra Labyrinthum inclusus humanis carnibus vescobatur. Sed Minos de Pasiphae habuit plures liberos, Androgeum, Ariadnen, Phaedram. Sed Androgeus cum esset athleta fortissimus et superaret in agonibus cunctos apud Athenas, ab Atheniensibus et vicinis Megarensibus coniuratis occisus est. Quod Minos dolens collectis navibus bella commovit et victis Atheniensibus poenam hanc statuit, ut singulis quibusque annis septem de filiis et septem de filiabus suis edendos Minotauro mitterent. Sed tertio anno Aegei filius Theseus missus est, potens tam virtute quam forma, qui cum Ariadne regis filia amatus fuisset, Daedali consilio filo iter rexit et necato Minotauro cum rapta Ariadne victor aufugit. — De Minotauro enim fabula est, quod taliter fuisset genitus. <sup>2)</sup> Nam Taurus notarius Minois fuit, quem Pasiphae amavit, cum quo in domo Daedali concubuit. Et quia geminos peperit, unum de Minoe, alterum de Tauro, enixa esse dicitur Minotaurum, quod Vergilius ipse dicit Mixtumque genus p. l. b. f. = Serv. Aen VI, 14.

I, 203 Cecropidae] Athenienses a rege Cecrope. = Serv. Aeu. VI, 21.

I, 206 Atque inhospita Delos Gentibus] De hac insula talis est fabula. Post vitiatam Latonam Juppiter etiam eius sororem Asterien cum vitiare vellet, illa optavit a diis, ut in avem converteretur, versaque in coturnicem est. Et cum vellet <sup>3)</sup> maria transfretare, quod est coturnicum, afflata a Jove et in lapidem conversa diu sub fluctibus latuit. Postea supplicante Jovi Latona levata aquis superferri coepit. Haec primo Neptuno et Doridi fuit consecrata. Postea cum Juno gravidam Pythonem immissa Latonam persequeretur, terris omnibus expulsa tandem aliquando a sorore

<sup>1)</sup> Idem schol. Servianum etiam Theb. VI, 311 apud Lindenbrogium legitur; sed ab interpolatore ibi adiectum esse inde colligendum, quod desideratur in cod. Mon!

<sup>2)</sup> Haec ipsius scholiastae nostri verba, qui cum longior esset Servii adnotatio, omissis quibusdam sequentia hoc modo adiunxit. Animadverte autem id, quod apud Servium bene se habet „quod et ipse dicit“ prorsus languere apud nostrum „quod Vergilius ipse dicit.“ Moneo deinde ut in ceteris, ita in hoc scholio abesse danielina additamenta, ut appareat nostrum non aucto Servio usum esse.

<sup>3)</sup> Desunt haec in cod. M. iterum scriba aberrante a „vellet“ ad „vellet“.

applicante se litoribus suscepta est. Et illic Dianam primo, post Apollinem peperit, qui statim occiso Pythonem ultus est matris iniuriam. Sane nata Diana parturienti Apollinem matri dicitur praebuisse obstetricis officium. Unde Diana quamvis virgo sit, tamen a parturientibus invocatur. Haec namque est Diana Luna Proserpina. Nata igitur duo numina terram sibi natalem errare non passa sunt, sed eam duabus insulis religaverunt. Veritas vero longe alia est. Nam haec insula cum terrae motu laboraret, qui fit sub terris latentibus ventis (sicut Lucanus: quaerente erumpere ventum credidit<sup>1</sup>) oraculo Apollinis terrae motu caruit. Nam praecepit ne illic mortuus sepeliretur et iussit quaedam sacrificia fieri. Postea e Mycone Gyaroque, vicinis insulis, populi venerunt, qui eam tenerent. Unde dicit poeta<sup>2</sup>; Atque hospita Delos Gentibus. Quod autem diximus Dianam primo natam, rationis est. Nam constat primam noctem fuisse, cuius instrumentum est luna i. e. Diana, post diem, quem Sol efficit, qui est Apollo. Ut autem Delos primo Ortygia diceretur, factum est a coturnice, quae graece ὄγρυς vocatur; Delos autem, quia diu latuit et post apparuit, nam δῆλον Graeci manifestum dicunt.<sup>3</sup>) = Aen. III, 73.

I, 220 Thaumantida] Iris Thaumantia dicta secundum poetas, Thaumantis filia. Ceterum ex admiratione hoc nomen accepit, quae admiratio de eius coloribus nascitur. = Serv. Aen. IX, 5.

— Iris dicta, quod nunquam ad conciliationem mittitur, sicut Mercurius, sed ad disturbancem, et est ministra non tantum dearum sed et deorum. = Serv. Aen. IX, 2.<sup>4</sup>)

I, 222 Tethys] Uxor Oceani, nympharum mater. = Serv. Ge. I, 31.

I, 264 Caenea] Caenis virgo fuit, quae a Neptuno pro stupri praemio meruit sexus mutationem. Fuit etiam invulnerabilis qui pugnando pro Lapithis contra Centauros crebris ietibus fustium paulatim fixus in terra est. Post mortem tamen in sexum rediit. Unde Vergilius ,rursus et in veterem fato revoluta figuram<sup>t</sup>. Hoc autem dicto Vergilius ostendit Platonicum illud vel Aristotelicum animas per μετεμψύχωσιν sexum plerumque mutare. = Serv. Aen. VI, 448.

I, 330 Limbus dicitur fascia, quae ambit extremitatem vestium secundum antiquum ritum. Vergil.: Victori chlamydem auratam, quam plurima circum Purpura. = Serv. Aen. IV, 137.

I, 353 Amazones dictae sunt vel quod simul vivant sine viris, quasi ἀνα ζῶσαι, vel quod unam mammam exustam habent, quasi ἀνεν μαζῶν. = Serv. Aen. I, 490.

I, 387 Creta Rhea] Nati Jovis haec fabula est. Saturnus postquam a Themide oraculo comperit, a filio regno se posse depelli, natos ex Rhea uxore devorabat. Quae natum Jovem pulchritudine delectata nymphis commendavit in monte Cretae Dictaeo, ubi eum aluerunt apes. Et adhibiti sunt Curetes et Corybantes, qui tinnitu aeris prohiberent audiri pueri vagitum; unde ipsi sunt matris deum ministri. Ut autem fingatur Saturnus filios suos comesse, haec ratio est, quia dicitur deus esse aeternitatis et saeculorum. Saecula autem omnes ex se natos in se revolvunt. Unde graece Κρόνος quasi χρόνος, id est tempus dicitur. Ergo quo more . . e. q. s. = Serv. Aen. III, 104.

I, 388 Delos et civitas dicitur et insula, unde interdum recipit praepositionem. Delos autem dicta est, quia cum ubique Apollinis responsa obscura sint, manifesta illic dantur oracula, nam δῆλον Graeci manifestum dicunt. (cf. supra I, 206) = Serv. Aen. II, 73.

<sup>1</sup>) Hunc Lucani versum ipse scholiasta Serviano scholio inseruit.

<sup>2</sup>) Sc. Statius; haec quoque scholiastae; Servius ,quod etiam Vergilius latenter ostendit<sup>t</sup>.

<sup>3</sup>) Ad Theb. III, 438 idem scholion interpolatum legitur in cod. Pe at B, non in M. Quamquam saepius Laetantius agit de Delo insula (cf. scholl. Theb. III, 439; IV 796, V, 533, VII, 182) nusquam tamen enim ē Servio sua hausisse dici potest.

<sup>4</sup>) Non Serv. Aen. V, 606; ut vult Kohlmann.

I, 390 Cyclades non ideo dictae sunt, quia in rotunditate sunt, eo quod Graeci κύκλον rotundum vocant, sed quod longo ordine eas circumire necesse est propter promonturia periculosa<sup>1)</sup> = Serv. Aen. III, 126.

I, 393 Thiasos saltationes, choreas Liberi, id est Liberalia<sup>2)</sup> = Serv. Ecl. V, 30.

I, 394 Originem belli Troiani taliter historia refert: Herculem cum Colchos iret perditō Hyla post peragratam Mysiam navibus Troiam venisse. A cuius portu cum eum Laomedon arceret, occisus est et eius filia Hesiona belli iure sublata comiti Telamoni tradita est, qui primus ascenderat murum. Unde natus est Teucer; nam Aiacem ex alia constat esse natum. Tunc Hercules Priamum quoque redemptum a vicinis hostibus in paterno regno locavit. Unde et Priamus dictus est ἀπὸ τοῦ πρίαθαι, id est emi. Ceterum quae de liberata dicuntur Hesiona, constat esse fabulosa. = Serv. Aen. I, 619.

Postea cum crevisset<sup>3)</sup> Priamus voles repetere sororem profectus est cum legatis Salamina, ubi constabat eam regnare; at minime eam repete valuerunt, Graecis dicentibus se eam habere iure bellorum. Unde commotus Priamus misit Paridem cum exercitu, ut aliquid tale abducere aut uxorem regis aut filiam. Qui cum ambulasset<sup>4)</sup> sollicitavit Helenam, Menelai uxorem. Quae cum ei consentire noluissest, egressus est ille et civitatem obsedit, qua eversa Helenam rapuit. Unde et postea a marito recipi meruit. = Serv. Aen. X, 91 et 92.

I, 404 Foedus] quod dicit foedus, historiam tangit quae refert, quod Troiani e. q. s. cf. schol. ad Achill. I, 20 et I, 394. = Serv. Aen. X, 91.

I, 449 Aulis] insula est, in qua coniurarunt Graeci se non ante reversuros quam Troia caperetur. = Serv. Aen. IV, 426.

I, 469 Sthenelus] Capanei et Euadnes. = Serv. Aen. II, 261.

I, 472 Ulices] Lærtæ et Anticliae filius. = Serv. Aen. II, 261.

— alii dicunt Sisyphi et Anticliae filium, quae ante nuptias cum Sisypho Aeoli filio concubuit, unde Ulices natus est. Hoc et in Ovidio Ajax obiecit. = Serv. Aen. VI, 529.

I, 480 Styx palus est quaedam apud inferos, de qua legimus „Di cuius iurare timent et fallere numen.“ quod secundum fabulas ideo est, quia dicitur Victoria, Stygis filia, bello Gigantum Jovi favisce, pro cuius rei remuneratione Juppiter tribuit, ut dii iurantes per eius matrem non audeant fallere. Ratio autem haec est: Styx moerorem significat; ἀπὸ τοῦ στυγεοῦ id est a tristitia Styx dicta: Dii autem laeti sunt semper. Inde etiam immortales, quia ἄγθαρτοι καὶ μανάρτοι. Ergo quia moerorem non sentiunt, iurant per rem suae naturae contrariam, id est tristitiam, quae aeternitati contraria. = Serv. Aen. VI, 134.

I, 593 Agenorei Bacchi] . . . Agenor rex Phoenices fuit.<sup>5)</sup> = Serv. Aen. I, 338.

— Et imitatur hoc loco Vergilium, qui ubicunque (cum lucum) ponit, sequitur eum consecratio, ut „Luco tum forte parentis Pilumni Turnus sacra vallis sedebat.“ Lucas autem dicitur, quod non luceat, non quod sint ibi lumina causa religionis, ut quidam volunt. = Serv. Aen. VI, 441.

<sup>1)</sup> Videtur scholiasta usus esse tali Servii codice, quales sunt L, H, M, E, qui ultima verba „propter prom. per.“, quamquam ad interpretandum sequentem versum Vergilii a Servio sunt adscripta errore antecedenti admiscuerunt, quos secutus est scholiasta Achilleidis.

<sup>2)</sup> Vide neglegentiam scholiastæ, qui ne verborum quidem structuram — nam apud Vergilium occurrit thiasos — apud Servium bene se habentem mutavit.

<sup>3)</sup> Excessisset e vivis Hercules Mythogr. II, 199. cf. scholl. Ach. I, 21.

<sup>4)</sup> Qui cum ambul. schol. addidit ad connectenda duo scholia Serviana.

<sup>5)</sup> Quod addit seholiasta, de quo natus est Cadmus, qui Thebas condidit. Nota fabula est, non mirum in commentatore Statii, auctoris Thebaidis.

I, 628 Sperchee] fluvius Thessaliae <sup>1)</sup> = Serv. Ge. II, 487.

II, 44 Ithacus] pro Ithacensis, principale pro derivativo. = Serv. Aen. II, 104.

II, 89 Extemplo] illico, mox. Est augurum sermo; templum enim dicitur locus manu designatus in aere, post quem factum illico captantur auguria. = Serv. Aen. I, 92.

II, 183 Troia] regio est Asiae, Ilium civitas Troiae; plerumque tamen confundunt poetae et pro civitate vel regionem vel provinciam ponunt, ut Juvenalis, Et flammis Asiam ferroque cadentem. = Serv. Aen. I, 1.

En ea scholia in Achilleidem, quae scholiastam e Servio mutuasse milii enotavi, quibus efficitur longe maior pars totius commentarii, si omnino hoc nomine dignus. Sed haec si excipias et dicas ab interpolatore profecta, reliqua sine dubio iam ea appellatione indigna. Accedit aliud, cur id fieri non possit. Scholiasta enim eadem formula dicendi utitur, ubi Servianis quaedam addit ad explicanda Statii verba et ubi sua adnectit haustis ex alio fonte. Veluti postquam ad Ach. I 89 de Neptuno Troicorum murorum structore Serviana (Aen. II, 610) adscriptis, haec addit, Ergo deum iratum ostendit<sup>2)</sup> e. q. s.<sup>3)</sup> Plane eodem modo bis loquitur in schol. Ach. I, 91, quod non desumptum est e Servio, ubi de Thetide verba facit, Ergo dum quereretur apud Neptunum . . . dicit Neptunus . . . Ergo sic illam consolatur dicens<sup>4)</sup> e. q. s. Sequitur, ut ab eodem homine ea adscripta esse concedendum sit.

Quoniam exposui, quae e Servio delibaverit, nunc de ceteris, quae supersunt, scholiis pauca dicam. Ac primo loco ea ponenda sunt, quae ex alio commentario Vergiliano scholiasta deprompsisse videatur. Ad Achill. I, 238 Pholoe] Silva est Thessaliae, dicta a Pholo centauro, qui eam incolebat. Qui Pholus tempore, quo ab Eurystheo rege Hercules missus est Thraciam, ut Diomedis equos abduceret, qui humanis carnibus vescebantur, eum hospitio recepit. Aliqui dicunt, quod eum Hercules occidit suspectus ab eo hospitio. Velius Longus et Asper Pholum tradunt adversum centauros ab Hercule adiutum, cum Herculem receperisset hospitio. Asper tradit: Pholus dum sagittas Herculis stupet, quibus tot centauros occiderat, unam ex illis in pedem cecidisse, cuius vulnere sanari non potuit. Ideo credunt nonnulli ab Hercule occisum.<sup>5)</sup>

Dubitari nequit, quin haec ad antiquorem quandam Vergilii commentarium redeant; nam ex Philargyrio ad Ge. II, 456 discimus quaestionem fuisse, cur Pholum inter centauros interfectum dixerit Vergilius<sup>6)</sup> et pars quaedam scholii — quae Aspri sunt — occurrit in Danielinis ad Aen. VIII, 294, alii Pholum non abhorrere a vera historia tradunt. Pholus enim, dum miratur sagittas Herculis, quibus tot centauros interfecerat, una ex illis in pedem eius decidit, cuius vulnere sanari non potuit.<sup>7)</sup> Verborum consensus autem demonstrat scholiastam Achilleidis ut alias Servium ita hic alium ad verbum exscripsisse.<sup>8)</sup>

Alterum deinde est schol. ad Achill. I, 444, Classis dicitur vel quod fiat de fustibus; cales enim dicebant maiores nostri fustes, quos portabant servi sequentes dominos ad proelium. Unde

